

ILLVSTRISSIMO ET. REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI D. DOMINO HENRICO RETZIO S.E.R. CARDINALI AMPLISSIMO, PARISIORVM EPISCOPO VIGILANTISSIMO, CHRISTIANISSIMI REGIS A CONSILIIS CVM PVBLICIS TVM PRIVATIS, &c. S. 581

SATISNE ſanus ſum (Cardinalis Illuſtriſsime) qui tibi Regij conſilij Principi communis & plebeius, Eccleſiæ antiſtiti medicinæ baccha-laureus, omnibus noto vel etiam tibi ignotus hæc theoremata inſcribam ? huius etiam (vt ex animi ſententia loquar) ἀνισότητος ſæpius penſitata ratio me à propoſito dudum reuocaſſet, niſi aliarum rationum apud me plus valuiſſet pondus & auctoritas: Licet enim è plebe ſim, nonne plebeiorum eſt magnates vos venerari non aliter quàm mortalium deos adorare ? ſi medicus, quid mea vota non credam tuo numini & nomini ? medicis quæ conceſſa eſt medicinam exercendi facultas ea à ſummo pontifice per te Epiſcopum pariſienſem conceditur. quid igitur obſtare poteſt ? tibi forte ſum ignotus, quid inde ? ſemper vſu deprehendi litteratos homines litterarum cupidos neutiquam faſtidire. Præterea (vt nihil te celem) non parum me impulit ſingularis ille fauor, quo vitricum meum ſemper es proſequutus, atque etiam illa penè incredibilis humanitas, qua tu (Illuſtriſsime Reti) tanquam rete omnium hominum illaqueas animos: his plura poſſum addere, quibus facile adductus nō potui quin hanc meam theſim venerabundus offerrem tuæ amplitudini: munus quidem, ſi vnâ cenſetur ſcriptione meâ, ſane pertenue, ſi animo magnum, ſi rei dignitate lectiſsimum: ſed qualecunque ſit, te etiam atque etiam rogo, vt ſolitâ benignitate accipias, & hac acceptione tanquam ſummo beneficio in perpetuum tibi deuinctus magis viuet tuus quam ſuus

IOANNES DE BOVRGES.

AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIB. AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXII. NOVEMBR. M. IOANNE TEXIER DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An quibus cor grandius pauidi?



IXTORVM homo perfectissimum, temperatissimum, omnibus illis materie consentit, formâ distinctus; materia corpus est ex ἀψύχῳ parentis vtriusque semine, necnon muliebri menstruo tanquàm principijs, partibus verò similaribus tanquàm elementis constans: forma anima est, omnium vt facultatum, sic & functionum causa, è sinu materiæ nequaquam, vt cæteræ, sed è suprema mente deducta, hanc inter & corpus media se miscet substantia, amborum copula, sed arctissima: hinc mutuus vtriúsque consensus: sic feruens in corde calor audaciam, audacia caloris in corde feruorem parit: sic & à frigidiore cordis temperie pauor, à quo vicissim caloris in corde remissio.



VMANIS abstrusa sensibus anima facultatibus se animali, vitali, & naturali prodit; has totidem quasi stimuli ad agendum incitant appetitus, qui tametsi in eadem cum illis sede morentur, operibus tamen maximopere distant. animali facultati voluntas, vitali θύμωσις, naturali ἐπιθυμία comes est: prior illa incorporea, impatibilis, immortalis, rationi obtemperat, nec vllis iactatur perturbationum fluctibus, nullis vitiorum procellis obruitur: posteriores duæ corpori immersæ, & nobis communes cum belluis, rationis spernunt imperium. ardua θύμωσις appetit, non aggreditur nisi cum impetu motis extrorsum spiritibus, qui si frigidiores, non mouentur.



OMINIS corpus partium diuersi generis structura varium efficit: aliæ similares sunt vnam parilémque substantiam adeptæ, aliæ ex harum compactione constantes, quæ ἀνομοιομερεῖς ritè vocitantur: aliæ principes ad indiuidui totius conseruationem absolutè necessariæ, aliæ ignobiles: illæ non sedibus modo, sed substantiâ, temperie, vsu seiungatæ: mollis & alba cerebri substantia, frigida & humida temperies, structura mirabilis, non refrigerandi cordis, sed elaborandi spiritus, sed functionum principis, sensificæ, & motricis edendarum gratiâ: cor vitalis opifex spiritus viscerum est calidissimum, durissimum, minimum: quibus minus est his & calidius: homini quàm cæteris grandius, & minùs calidum: carnosum viscus hepar, humido calore perfusum αἱματώσεως auctor & officina est.



A' ὁμοιομερῆ sensui simplicia sunt, rationi mixta: horum forma temperies ex certa resultat calidi cum frigido, & humidi cum sicco miscella: in eo conflictu pereunt elementorum formæ, superstitibus interim qualitatibus, non tamen illæsis: retunditur calor non solâ vi qualitatis oppositæ, sed & ampliore subiecti mole; quid ita? dispersa virtus debilior vnitâ, & quo in angustiore subiecto calor est, eo uegetior: patitur à calore frigus: humor siccitatem reprimit, siccitas humorem, nec nisi cadmea refertur indè victoria.



ISCE conflatũ partibus animal ne momẽto quidẽ subsisteret, nisi distinctus ab elemẽtari calor, cùm spiritui, tùm humori primigenio tenaciter adhærescens totam hanc illustraret œconomiam: hic fatalis stipes in quo μοῖρα πεπρωμένη: hoc primùm animæ in obeundis functionibus instrumentum: eo imaginatur, meminit, ratiocinatur in toto cerebro: eo mouet, in musculis κατὰ προαίρεσιν, in corde, & cerebro κατὰ φύσιν, in pulmone κατὰ συμβεβηκός: eo sentit lucem & colorem in oculis, in auribus sonum, in processibus cerebri mammillaribus odorem, in lingua saporem, tactiles denique qualitates in cute: eo coquit, in ventriculo cibos, in hepate chylum, in vniuerso corporis habitu sanguinem: quid mul[illegible] in grandiori corde pauet, irascitur in pusillo.

Ergo quibus cor grandius pauidi. 29

Proponebat Lutetiæ IOANNES DE BOVRGES Parisinus A. R. S. M. DC. XVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Michaël Francier.
M. Ioannes Merlet.
M. Gabriel Harduynus de S. Iacques.



M. Michaël de la Vigne.
M. Ioannes Tournier.
M. Ioannes Perreau.



M. Gaspart Brayer. M.R.
M. Nicolaus Henault.
M. Phillebertus Guibert.

